DEO DUCE ET AUSPICE!

DISPUTATIO [illegible]*OSOPHICA*

HODEG[illegible]ICUM

STUDII PHILOSOPH. BREVIBUS APHOR. PERTEXENS.

Quam

Adstipulante Venerando & Amplissimo Philosophorum Collegio, in Celeberrima ad Auram Universitate, placidæ Philosophantium censuræ publicè subjicit

SUB *PRÆSIDIO*

Amplissimi & Præcellentissimi VIRI

DN. ERICI FALANDRI

Græc. & Hebr. Ling. Prof. celeberrimi, Promotoris & Præceptoris sui æternum devenerandi.

Pro Magisterii insignibus reportandis

LAURENTIUS N. ULM GREEN/

Smol. S. R. M. Al.

Die 21. Novemb. in Auditorio Superiori

Anni ἐποκῆς τῶν χριστιανῶν

M.DC.LXX.IX. horis ab 8. antemerid.

ABOÆ,

Excusa apud Viduam Hanssonii.

HELSINGIN YLIOPISTON KIRJASTO
KOTIMAINEN
OSASTO
1954:
1256

Maximè Reverendo in Christo Patri
[illegible]mino

DN. ENEV[illegible]O SVENONIO, Q.G.A. S.S. [illegible] Doct. & Prof. Prim. Consistorii u[illegible]que Adsessori gravissimo, Rev. Facult. Theol. Decano amplissimo; nec non Ecclesiarum Aboënsium & Nummensis Pastori vigilantissimo, Mecœnati & studiorum meorum Promotori magno, humillimâ veneratione æternum suspiciendo

Amplissimo & Præcellentissimo Domino

DN. M. JACOBO FLACHSENIO, Hact. Met. & Log. Prof. celeberrimo, jam verò. annuente Deo, â S. Reg. Maj. S. S, Th. Prof. Publ, & Ord. Ecclesiæq; Dei in Lundo Past. designato, Mecœnati, Patrono, Promotori & Præceptori devotâ mente devenerando &c.

ut &

Viris Prudentiss. & Circumspectis

DN. JOHANNI Ranck/ in celebri hoc Emporio Mercatori solertissimo, fautori & benefactori meo singulariter honorando.

DN. SIGERTO Brant/ in inclyta urbe Aboensi Inspectori attentissimo, fautori & amico jugiter honorando.

Hanc Disput. in τεκμήριον gratissimi animi submissè officiosèq; offert

LAUR. Plum Green A. & R.

I. N. J.

ΠΡΟΛΤΑΙΟΝ

Logio nullius indigentem philosophiam, intempestivè prosequi laudibus, ijs sæpè solenne est quibus aut justa ejus æstimatio non constat, aut absque suspensa hederâ venire vinum est metus; mihi sufficiat nunc dixisse eam valdè necessariam esse & fructuosam, quâ veluti pumice omnia tandem atticè & venustè perpoliuntur. hinc olim percelebres viri haud pauci incredibili desiderio scienâi, lumine naturæ ornati in mundum prodiêre, naturas rerum, morestque hominum contemplando præclaras artes invenêre: Unde apud Ægyptios Sacerdotes, apud chaldæos Magi, apud jndos Gymnosophistæ; apud Græcos & Romanos philosophi floruerunt. Quos inter multa per secula nostrè majores propter insignem sapientiam, Ptolomæum in Astrologia, Boëtium in Musica, Euclidem in Geometria, Ciceron: in eloquentia

Ariſtot: & *Plat:* *in Philoſophia pratulerunt, eoſdemque ut oracula ſcientiarum omni poſteritati commendarunt, hoc ſanè feciſſe ob has cauſas præcipuè videntur; & quod in illis vim rationis lumenque maximum animadverterint, & quod morbis primævo lapſu contractis mederi conati veritatis luce affulgente fomenta & medicamenta jucundiſſima centulêre, quæ vulnera laceratæ menti Æſculapio melius ſanarunt. Erit itaq; præſtantiſſima lapſus primævi medicina Sophia ingenijs erectioribus, ſeu ut loquitur Philoſophus* τῆς καλὰ τὴν εὐδιακειμένοις διάνοιαν *commendatiſſima & pro dono â Deo benigno conceſſa promptè agnoſcenda, qui ut Macrocoſmum theatrum naturæ univerſum admiranda arte fabricavit, & inter mirabilia & magnalia ipſi inſculpta id duobus luminaribus, ſole nimirũ & lunâ ornavit, in quibus eius bonitas inæſtimabilis, & incomprehenſibilis ſapientia adumbratur: ita microcosmum hominem duobus inſimul luminibus gratiæ ſcilicet & naturæ erexit & inſtruxit, quorum eo in conſortium Dei eveheretur & commercium angelorum ingrederetur; hoc vero actionis* ἀξίαν *diſſi paret & veritatem quâ homini majus in hac vitâ aut præſtantius cõtingere*

non

non poteſt, comprehenderet. Quia verò ad ſacram hanc veri γνῶσιν mentis noſtræ acies cæcutit, utpote quæ adeo latens eſt & abſtruſa, ut eam non injuriâ Democritus in altiſſimum puteum demerſam conquereretur, laborem fortaſſis haud inutilem facit ſi philoſophiæ ſtudio totum ſe dedat; eſt namque Ariadnes filum, quo naturæ intima penetrare, abditam illam Deorum filiam veritatem intueri valet; quapropter Generoſi animi certatim contendêre, ut ſapientiam & prudentiam conſequerentur, illa quippè ignorantiam expellit; hæc voluntatẽ â malitiæ labe purgat. hinc non ſine ratione â Pyth: vitæ humanæ purgatio, & perfectio â Cic. animi medicina nuncupatur: Efflorescentia proinde ingenia, quibus animi tenebras excuttere, & Reipub. cui nata ſunt, inſervire cordi eſt, hæc diligenti mentis trutina evolventia, omnes ingenij nervos intendent, ut illibatam hanc Philoſophiæ veritatem, optimo ſtipatam Satellitio, conſequantur: Ego verò rectam illam adeundi viam oſtendam, ſtadia definiam brevibus aphoriſmis. Quod argumentum pro ingenii tenuitate præſentiúq; temporis ratione breviter contemplari, & candidorum pectorum cenſuræ, decenti modeſtia ſubmittere

con

conſtitui, quare ante omnia devotè ore, ut tantùm huic negotio cœleſtis numinis favor indulgeat, quo almo hoc Athenæo digna contingat Ἀφοσίωσις. Sit itaq;

Aphor. 1.

Pietas ſuprema lex eſto!

CLariſſimum illud Eccleſiæ lumen Aug. in Epiſt. ad Marcellum inquit: *Quid melius animo geramus, aut ore promamus & calamo explanemus, quam Deo gratias; hoc nihil dici brevius, nihil videri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt?* Quod ipſum etiam evincit Aphoriſmus Apoſtolicus, ἡ δὲ ἐυσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. Pietas itaq; erit lex ſuprema, cui à primis unguiculis deditus ſit Philoſophiæ Studioſus, & non alium ſibi figat ſcopum, præter gloriam Dei, & ædificationem Reipub. Etenim cum ſolus Deus abſolutè & infinitè bonus, imo ipſa bonitas, omnia ad eum obtinendum referre debemus, quo nihil perfectius, nihil præſtantius; Eſt omnia

omnia ſuper omnia, & præter omnia. In ſolo igitur Deo noſtro benedicto & glorioſo acquieſcendum; omnia ad Deum referenda, ergo & Philoſophiæ Studium. Hinc Juſt: vocat Philoſophiam τῶ ὄντι μέγιστον κτῆμα καὶ τιμιώτατον θεῶ; de qua Perſius Satyr: 5. Petite hinc Juvenesq; ſenesq; finem animo certum miſerisq; viatica canis. Gentiles equidē cum perfectum ultimum finē in adeptione Philoſophiæ conſtituebant, omnia ad eam retulerunt, inq; ea ſolum acquieſcebant: Chriſtianis verò qui excellentius noverint bonum, longè potius omnia ad Deum obtinendum directa eſſe debent, ſi omnia, ergò & Studium Philoſoph. qua in parte fideliter hortatur Clariſ: Meiſn. in Philoſophiæ ſobriæ Proëm. *Philoſophia rectè utendum, ne ejus amore præpediti, à Dei, quo unicè fruendum eſt, notitiâ & cognitione vel multum retardemur, vel omnino revocemur.* Enimverò cum ad Studium Philoſophiæ requiratur ingenium, ut paulo poſt, acutum & mens valida, quæ quamvis per naturam potens ſit, ſat tamen debilis eſt illa potentiuncula, niſi exercitio pietatis

acuatur, exerceatur, ægrè alias ad notitiam rerum pervenire potest. Præterea exitat pietas in nobis illustrem naturæ & virtutis cognitionem, tot tantaq; hinc ebulliunt commoda, quot quantaq; quis unquam voto assequi queat. Quid autem per Deum immortalem aut honestius aut præclarius aut omni vitæ conducibilius? imo quid sine hac vel in civitatum curiis, vel populi concionibus, vel principum aulis rectè aut consulitur, aut consultum facto præstatur? hæc enim sola & unica est quæ omnia virtutum parit officia, alit, conservat, atq; tuetur. E contra impietas omnem mentis usum evertit, omnem vitæ humanæ dignitatem commaculat. Cum omninò Philosophia sit habitus quo veritatis vim obtinemus, adq; virtutis actionem deducimur, apparet porrò eum Philosophiæ Studiosi titulo indignum qui affectibus indulget, aut vitiis scatet; Philosophari est τὸν θάνατον μελετᾶν ut loquitur Plato in Phœdone, id est mundanis voluptatibus se abdicare & honestam virtutiq; consentaneam ducere vitam.

Prærequiritur finis intentio, naturalis induſtria, & tolerantia.

α. Quem finem ſe aſſequi putat Philoſophiæ Studioſus, intendet; nam in tanta rerum copia aliud alii natura iter oſtendit, prius itaq; quam incipit conſultò, ubi autem conſuluerit maturè facto opus eſt, ne illa intercedant obſtacula quæ animi conatum, vel planè abrumpunt, vel juſtò diutius ſuſpendunt; nec ruet quò cœcus eum tulerit impetus, ſed hoc prius advertat quam vel vires conſenuerint, vel ſumptus deeſſe cœperint, maturè ergò certùs ſcopus ipſi ſit proponendus. β. Dixi naturalem induſtriam & aptitudinem requiri, nam ii, quos aut naturæ, aut educatio ſtupidos fecerat, ad ſtudia non ſunt adigendi. Sunt & ingenia haud pauca naturali gaudentia induſtria, & quoad apprehenſionem quam exquiſitiſſima; verum absq; ſedulitate felicitas ingenii plerumq; in proterviam & temeritatem degenerat. Inſuper alios qui conſulere nolunt, ruunt invitâ Minervâ quo pravus naturæ impetus eosdem tulerit,

ſtudiis quidem & lectionibus, vitæ ſuæ tempus conſumunt, verum iſtac ratione parum aut nihil in iis proficiunt; hi demum canitie obducti vitium advertunt ſuum; & ſic aliud vitæ genus, dum vires conſenuerint, totum animi robur perierit, ſibi eligere coguntur. Quid cauſæ? nimia incurioſitas. nam qui naturalem ſuam induſtriam quovis modo perdit, in artibus liberalibus, præſertim ſublimioribus, quæ cuivis non obviæ, rarò proficit; tenebris enim multis latent abditæ & difficultatibus variis obſtructæ, nec ulla ratione niſi ſolerti ingenio inveſtigari poſſunt; Omnes ergo quorum ſalus hoc in vitio periclitatur, ſeriâ æſtimatione ingenii ſui imbecillitatem proſpiciant, ne eò inſaniæ redeant, ut ſe potius ſorte quam virtute regi querantur. γ. Maximoperè requiritur tolerantia, adverſa quævis patienter ferendi, quippe in amænis roſariis non invenitur plantata ſapientia, nec in plumeâ ſedet culcitra, ſed laborem aſſiduum requirit, diligentiam deſiderat, vigilantiam exigit.

Eloquentia & Philologia cum sobria Philosophia conjungenda.

STudium eloquentiæ quod politioris eruditionis instrumentum, omnibus Philosophiæ operam navantibus intimè debet esse commendatum: nec operæ præcium in Stud. Philosoph. feciſſe quisquam ſibi imaginetur, niſi cultioris literaturæ ſtudiis expolitus ad id accedat. Nam ut in conviviis haud parum intereſt, quâ ratione epulæ condiantur, & quo quidq; ordine ad edendum apponatur; ſic in ſcriptis Philoſophicis magni refert, quali oratione animi cogitata, ſenſaq; aperiuntur ac pronunciantur, & quo quidq; loco cognoſcendum proponatur, ſtudium itaq; eloquentiæ niſi præmittitur nihil laudabile efficitur. Cæterum de ſtylo Philoſophico nota, quod erit benè temperatus, nec repet humi, nec aſſurget altius quam par eſt: rancida, ſordida, illota vitanda, dura mollienda. Nec infantilis aut confuſa, nec neglecta prorſus, obſcuraq; nec nimis compta affe-

affectataq; oratio decet Philosophum cui de veritate & honestate cura esto. Enimverò inquit Goclenius in lib. de veri phil: προσκειμένοις: *nihil sunt verba sine rebus nisi vas inane, quod nisi clariorem dat sonum, quo frustra aures complentur. Et quid verba sine sapientia & veritate, & umbra sine ὑποστάσει seu subiecto corpore? Quid res aliud sine verbis, quam caput sine lingua? Quid res sine ordine, antiquum chaos vel corpus cuius oculus in ventre, aures in pede, pes in capite.*

Aph. 4.

Scopus & argumentum alicujus disciplinæ observetur, & de scopo ubi constat ejus ἀνάλυσις aggrediatur.

Argumentum alicujus disciplinæ observare pernecessarium est, quod facillimo negotio & labore fieri potest, si probè objectum quâ partitionem tam Generalem quam specialem singularum partium pervolvat. primò omnium con-

confusa disciplinæ alicuius adumbratio-
nē habebit, deniq; accuratius objectum
inspiciet, & in ejus cognitione eò usque
progredietur, quousq; objecti formale &
debita abstractio permittunt. Superfici-
aria cognitione comparata, per partes
deindè ediscat, nec facilè ab una non
dum possessa in aliam transeat partem,
ponderet vero 1. vocabula & phrases.
2. Quid scopo & argumento huic con-
gruat & conveniens sit judicabit, inque
eo quid affirmandum, quid negandum
quidq; probandum dignoscet. 3. Ar-
gumentum jam affirmatum aut nega-
tum diffusius tractet donec argumenti
adyta hoc modo penetraverit. hoc
rursus observato, nec saltuatim ab hac
controversia ad aliam decurret, sed de
controversia jam tractanda authores
quotquot unquam potest consulat; ita
fiet ut ex variorum scriptorum colla-
tione videat quis suo argumento magis
satisfecerit, quis adversarium fortio-
ribus urserit argumentis, & sic dein-
ceps.

Aph.

Vera præcepta Philosophiæ, ac curato studio semel ac iterum legantur, ac adeo familiaria reddantur ut ex memoriæ penu recitari possint.

OBtinuit mos ut semper vera & certa prælegantur præcepta, ad quæ deinceps studia sua dirigere suamq; informare rationem queat studiosa juventus; præprimis ergo studium omne eò conferendum 1. ut ea addiscat præcepta quæ ex optimis authoribus traduntur, quæ sint perspicua, brevia, rebus adæquata, quæq; ad leges bonæ definitionis quadrant, 2. attendat quid propria possit industria in apprehensione veri sensus & naturæ. 3. tandem eam in rem commentarios â clarissimis viris conscriptos adhibebit. 4. Commendandæ erunt hanc in rem maximè lectiones publicæ, quas si frequentat, iisquè accuratè attendat, audiat commentationes fieri prolixiores; undè præcepta non modo tractare discat, sed & resolvere & applicare. Verum ut

utlectiones publicæ utilitatem secũ habeant obitèr nota .1. Præparationem valdè necessariã, quæ auditorem philologicis instructum adminiculis, devotum, precibus assiduis deditum, attentum, accuratum, sedulum & constantem requirit. 2. Electionem quæ prudentiam desiderat, ut necessaria & captui discentis accommodata, difficilioribus & minus utilibus (donec judicium crescat) præferantur. 3. Translationem quæ ad usum omnia transferre jubet, ac singulas lectiones in succum & sanguinem vertere. Disputationes etiam varias ob utilitates accurato studioso commẽdandæ, quæ sunt veluti certissimũ veritatis indagandæ mediũ, nuncupantur enim â Pico Mirandula cribrum veritatis, neq; id immeritò, ac sanè veluti ex lapidum collisione ignis elicitur, ita veritas ex opposita sententiarum collatione resultat; Quarè optimè præparant ad seria certamina studiosum, judicium acuunt, memoriam juvant, scrupulosq; dubitanti eximunt. Proderit etiam studioso philo-

lo-

loſophiæ attento ſtudio theſes ventilandas perlegere, cumq; plenario Syſtemate quo ſpectant conferre, objectiones, Reſponſiones, Diſtinct. & ſolidas terminorum explicationes notare, ſtatum controverſiæ obſervare, omnia audita & notata ad uſum transferre, tum per privata colloquia ſimul ac publica exercitia. Ut omnia ordine & decentèr in celebri Philoſoph. colloquio fieri debent ita tum vel maximè cum ab accuratis viris de rebus magnis diſceptatur. Aliter n. potius verboſè diem protrahunt quam nervoſè diſputant. Perſtringit ergo paucis Goclenius, quis actor, quis auditor & quid officium utriusq; eſſe debeat. Verba ejus ita ſonant: *Actorem in hoc congreſſu tripartitum conſtituo, Opponentem, Reſpondentem & Moderatorem. Opponentis eſt non temerè in aciem prorumpere; ſed telis paratis ad certamen accedere. decet illum urgere argumentis adverſarium, nunquam contumeliis. Intonet modo ſe contineat in cauſſa ſed extra cauſam nihil dicat. Si deſit materia, ſi deſint argumenta taceat.*

Melius

Melius enim tacendo bene quam stulte dicendo tempus conterere. Ex diametro (ut ajunt) Respondens in causa opponitur: hujus est ad unguem statum quæstionis tenere, in promptu Adversarii vires & argumenta retundere, communes & receptas majorum sententias defendere, nihil agere pertinaciter quod est contumacis: nihil opinioſe quod est erranti & impudenti. Moderator lances Minervæ tenet, cujus est graviori judicio, rationes ultro citroque allatas ponderare, frigidas incursiones leviter attingere, validas justis laudibus attollere, pertinaciam in falsa opinione ut hydram multorum capitum rescindere: de omnibus deniq; suam sententiam graviter, appoſite & erudite dicere. Auditor si rectè fiant omnia, diligens, sin minus patiens esse debet: Diligentia enim scientiam auditori, patientia amicitiam differenti debit.

Aphor. 6.

Meditationis tanta est necessitas, ut sine illa finis studii Philosoph. vix obtineri potest.

AD investigandam naturam rerum Philosophicarum facit etiam me-

 dita-

ditatio, quæ mentem labe Edenica occœcatam informatiis in rebus quas scire cupit stud. Philosoph. fit autē meditatio illa legendo, relegendo, prælegendo, legendo quippe sibi acquirit. 1. Notitiā & propositi objecti cognitionem. 2. Explicationem atque 3. applicationem. Per lectionem hic intelligo non illam quæ syllabas aut voces combinat; sed quam Græci ἀνάγνωσιν seu recognitionem vocant, commonefactionem earum rerum quæ scriptæ sive leguntur, sive ruminantur. Hinc ergo tres quasi species lectionis fluunt. 1. Lustratio disciplinæ alicujus per sensum visus. 2. ἀκρόασις per sensum auditus. 3. Meditatio per discursum & reminiscentiam, quæ omnia philosophiæ studioso conjungenda, non separanda. Temporis & laboris lucrum sentient haud exiguum ii, qui ad sublevandam memoriam quidpiam rerum lectarum literis consignant. Non enim quisquam tam felicis memoriæ est, ut omnia simul retinere queat, quin succeden-

cedentibus aliarum rerum notitiis, alia exidant, quapropter magister sententiarum Seneca inquit: *cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concoquas; hoc ipse quoquè facio ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo.* Causam cur inter legendum, inter audiendum, quandoquè ac videndum notare debemus addit Dn. Joh. Scheff in Gymn. Styli, ut scilicet *α.* memoriæ succurratur. *β.* ut commodo senectutis consulatur *γ.* ut de materia quandoquè in promptu habeamus authores idoneos in illis locis. *δ.* ut intentio acuatur, judicium exerceatur firmeturquè. de hac considerandum venit. 1. Quæ notanda, nimirum observatu digniſſima cum in rebus tum in verbis 2. Quo modo? notari oportet diligenter ac assidue adeoquè multum. 3. Ex quibus? non ex paucis sed ex omnibus. Plin. avunculo suo: nullum esse librum ait tam malum ut non aliqua ex parte pro sit. Virg. dicit se ex Ennii stercoribus aurum colligere.

Bibliotheca Philosophiæ studioso necessaria.

Philologica adminicula respicientia linguas, utpotè linguam latinam, Græcam, & hebræam imprimis adesse debent; addo & linguam vernaculam, ne illâ neglectâ quasi muti ignari aliarum linguarum, deprehendantur; linguas reliquas honorarias taceo, quæ non tam perficiunt quam ornant philosophum. Philosophica admin. plurima existunt, quæ recensere supersedeo, neq; mihi in tot clarissimorum scriptorum varietate proclivè est judicare aliquid, præsertim cum in tanta authorum copia, etiam optimi nos fugere possint & judicio hominis docti committendum sit, quos ille auctores in quavis materia videat magis conducere, & quos commentarios præ reliquis eligat.

SOLI DEO GLORIA.

COROLL.

Disciplinarum philosophicarum sobria cognitio non utilis modo, verum etiam necessaria Theologo.

SIGNOR

LORENZO ULM-GREEN,

COme gli stanci e stracci dal camino, ingordamente cercano di poter riposare sotto alcuno verdo albero, (sia 'l olmo ouerò alloro) finò che vengono appresso à spesse volte desiderato albergo. Così mi paiono istessi fare, c' hanno nella fresca giouanezza, più bisogno di senno, che d' altre friuole cosette; per molte fatiche, stanci: per molte noie stracci: finalmente per il viaggio di virtù, sotto l' ombra del Parnaso, acquistano riposo. Hauendo dunque V. S. nella Filosofia trouato 'l bersaglio lampeggiato; non tanto con l' opere d' ingegno, quanto con quelle di cortesia; perciò non dico più: mà di tutto cuore prego, ch' Iddio vi sia per sempre guida.

ELIA Til-Landi/
Dott: d. M. e Prof.

In Disputationem Inauguralem
Præstantissimi CANDIDATI
DN. LAURENTII Ulm-green/Smol.
Amici mei multum dilecti:

NUnc sophiæ studium quam sit res plena laboris
Ingenuæ, exponit tua disceptatio præsens
Ulmgreen/ quam fidus coluisti, ritè docebis
MOX alios: nec te dimittet turba novena, (net,
Quin lauro caput, & tua tempora frōde coro-
Ut meminisse juvet, Musarum castra seqvutū,
Castalidumq; choros, quos sic dilexeris Ergo
Cōcedat summus tibi prospera quæq; Jehova.

Opera adposuit subitaria
JACOB. FLACHSENIUS.

Πολλοὶ μὲν τῆς φιλοσοφίας πλεῖστον ποιοῦσι λόγον, τὴν δὲ ἀγνοοῦσι τάξιν ὡς χρὴ πάντα προσλαμβάνειν ταῖς ἐπιστήμαις: εἰ καὶ ταύτης οὐδὲν δεῖ ποιεῖσθαι προυργιαίτερον τῆς ἐν ταῖς ἡμετέραις σπουδαῖς οὔσης καὶ πρῶτον καὶ μέσον καὶ τελευταῖον. Τοῦτο τῷ Σῶ παραδείγματι φανερὸν ποιεῖς, ὅστις διὰ τὸ ζητεῖν σε τὴν ἐν ταῖς τέχναις οἰκονομίαν, τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς εὑρημένα ῥαδίως μεμάθηκας. Ἔρρωσο.

Literis & vitæ innocentia conspicuo
Dn. LAURENTIO Ulm-Green/
Phil. Cand. eximio, festinanter ita
gratulabar
E. FALANDER.

Pereximie Dn. CANDIDATE Vlm-Greeni amice dilectissime!

Quod rarum charum! Frons decidit arboris ista,
Primo dum folijs autumno albescere sylva
Incipit, amittens gemmas cũ frondibus omnes.
At cum tristis hyems nive cõtegit aspera saxa,
Et glacie cursus tremularum frænat aquarũ,
Frigidus ac Aquilo sylvis decussit honorem,
Frondet adhuc inquam, fœcundis frondibus ULMUS;
Brumæ etsi nequeant frondes luctarier ullæ.
Hoccine cum rarum tum charum dicere de Te,
ULMGRENI, *liceat, cum ramus de foliosâ*
Sis Ulmo, brumæ gelidis nec fracte pruinis?
Trudere jam gemmas & gratas pandere frõdes
Pergis ovans, seris quæ certa viatica canis
Acquiris, dignus titulis & honore Magistri;
Omen enim sequitur pariter laudabile nomẽ.
Quiq; dies pauci restant, properanter honores,
Frondea serta dabunt; cingent viridante corollâ
Tempora docta Tibi. Frondeto frondibus illis,
Donec in ætherio Tu splendidus incola Cœlo
Frondibus æternis in secula cuncta triumphes!

Quod prolixius mente optat quàm verbis

Tuus

GUNNARUS Grahn.
Reg. Maj. Al.

ULMGRENI è doctis petis alta brabéa Camænis;
Anne ipsæ referent munera docta tibi?
Auguror! Augurio constet sua fama fidesq;
Si qua fides Musis, præmia si qna bonis!
Lauro digna tua est virus; industria laurum
Promeruit: cur non laurea serta feres?
Gratulor ergo tibi; Christus tibi cuncta secũdet,
Annuat & cæptis; sit via, vita, Salus!

Pereximio Dn. Candidato, Conterraneo & Fautori honorando, libens lubensque gratulari voluit

ANDREAS SLETHERUS.

Eruditione & morum integritate valde conspicuo *Viro Juveni*

DN. LAURENTIO N. ULM. GREEN/

Philos: Candidato dignissimo, Sympatriotæ, Fautori ac Amico singulariter dilecto,

Nunc pro honoribus Magisterij nervosè ac industriè disputanti:

CLare vir ingenio, nullos latitare recessus
Te sophiæ, hæc clarè lemmata docta docent.
Clarius, ULMGRENI, docto hôc id rite probasti
Discursu; haud dubites quin tibi crescat honos.

Boni ominis causâ Gratulabundus adclamabat

SVENO N. WETTER
wisingzb. Smol.